4

N. 15.

3091

AD EMINENTISS· ET REVERENDISS·
PRINCIPEM
IVLIVM S·R·E· CARD· MAZZARINVM
DVCEM AC PAREM FRANCIÆ
SVPREMV IN OMNIBVS
A REGIIS CONSILIIS
ET·C·

MANILIANI
BONONIENSIS MONVMENTI
HISTORICO-MYSTICA LECTIO

INTERPRETE
ALEXANDRO NIGRO IO. FRANCISCI FILIO
I. V. D.
PERINSIG. COLL. ECCL. BONON. CANONICO
PROTONOT. APOSTOLICO.

Bononiæ, Typis HH. de Duccijs 1661. Superiorum permissu.

IVLIO
CARDINALI MAZZARINO
PIETATIS, AC IVSTITIÆ
CVLTORI EMINENTISSIMO,
BELLI HEROI, ET PACIS PATRI
VIGILANTISSIMO,
BONO ORBIS NATO
ALEXANDER DE NIGRIS IO. FRANCISCI FIL.
D. N. M. Q. E.

HIſtoriarum decus, ac dignitatem, EMINENTISS. PVRPVRATORVM, mutuam referentes Temporum viciſsitudinem, ad exquiſitum Humanæ Sapientiæ Magiſterium ſæpè ſæpius ſeria contemplatione deprehendi, prouido quodam fato, in Virorum mentes traduci. Hinc ad imitationem Virtutis æmulatio; Hinc ad inclytorum Geſtorum venerationem amor; Hinc Prouinciarum, ac Gentium fama; Hinc Patriæ ac Familiarum ſplendor. Propterea fuit mihi diù conſilium decem Voluminibus, non ad Patriæ modò, ſed ad totius ferè Orbis res bis mille Annorum ſpacio per-

actas vnà simul referendas, à Genitore meo compositis, Apparatum satis plenum contexere; vetustissimi Aeui Monumenta, tàm è Numismatum, ac Lapidum fragmentis, quàm è priscorum Historicorum vestigiis, quæ præsertim ad ipsam Patriam spectant, colligendo. Sed quid iuuat, ob Virtutem sectandam, alatum caput, dum plumbo pes grauatur? Agitari quidem potest, extolli minimè valet. Ror*antes aquas, vt solum fœcundent, à Sole trahi necesse est. Splendido Magnatum Patrocinio irradiantur Scriptorum lucubrationes. Beneficos tunc hos fulgores Genitor expertus est, cum sua de Primo Sacro Bello Scripta,* MVNIFICENTISSIME PRINCEPS, *oculorum tuorum fulgentissimum subire lumen, ac per* TE REGIAM GLORIOSISSIMI LVDOVICI MAIESTATEM *adorare potuerunt. Vndè Solymæ, cæterasque Syriæ, sub Magno Gottifredo, ab impia Barbarie recuperatas Arces recognoscendo, Christianissimos Exercitus lustrando, Atauorum Pectora adamante solidiora contemplari potuit.* TE *igitur, quasi paterno iure, ac filiali reuerentia, Solem expectant cætera eius, & mea qualia-*

liacunq; Scripta. A TE mutuari tantum luminis sperant, vt nunquàm, vel tardius vereri debeant occasum. Ità arborum soboles eundem pro Patre Solem agnoscit. Statuerat Parens meus secundum Sacrarum Expeditionum Volumen Nomini TVO deuouere: ansam votorum arripio libentissimè, interimq; præsens Munusculum, in humillimi obsequij mei, nullis temporibus obliterandi, argumentum, ad TE, summa qua decet veneratione, dirigendum porrigo, vt consuetam erga me exoret Clementiam. Quid enim anxiùs debet quis ambire, quàm digna cum virtute Principum vti fortuna? Fas ità sit fidei meæ æterna vota depromere, Amplissimoq; Genio TVO obsidem offerre voluntatem. Vale, HEROVM MAXIME.

BONONIAE STVDIORVM VII. X. VIIBR. MDCLX.

STemmate si solo, splendet qui cingitur, Heros?
Quid MAZZARINO plurima serta dabunt?

LE-

L E C T O R I

m. Dĕ- ſſ. ex antiquiſ. Scriptorib. In Præfat. cui Tit Bonon. *Val. Max. in 1 C. Plin in 3. c. 15.*

VT BONONIAM Vrbem, Amice Lector, mille circiter annis ante Romuleas Sedes, à Celſino Tiberini Etruſcorum Regis Duce ſolidius agnoſcas conditam: atque duodenis Heturiæ Tranſapenninæ Ciuitatibus, immò vniuerſæ propemodum Italiæ, moderamine ſemper æquato Legum, & Armorum dominatam planè detegas, ad vetuſtiſſimorum Monumentorum ſtudia, imbecille licet, ingenium dirigendum excogitaui. Enimuerò hæc illa eſt Mater, quæ remotiſsimis etiam Populis, a primæuis vſque incunabulis, omnigenæ Sapientiæ, ac Diſciplinæ tutiſsimum domicilium præſtitit. Idq; beatiùs, cum à Felſino Rege ampliorem ambitum recepiſſet, & CELSINAE in FELSINAE nomen commutaſſet. Nec non, cum paucis indè effugientibus annis, generoſa manu recreata, Etruſcorum Sceptro liberè prorſus, ac pacificè potita, Imperium ſuſtinuiſſet vſque in An. Romæ Conditæ centeſimum quadrageſimũ. Hoc.n.ex tempore Galli Boij, ac Senones, Rhetum ſequuti, ab Alpium iugis cõfluentes, patefactis hoſtili pede itineribus, huc irrupere, deiectiſq; Thuſcis, & rebus tandem magnificè compoſitis, diuitijs adeò inualuere, ac potentia, vt Regionem, vſque ad iugum quaſſatam, Galliam appellandam, & Supremam ei Sedem confirmatam voluerint Felſinam, Boioniam tunc dictam; vt innuebat Cardinalis Hadrianus Caſtellenſis,

An. ab Or. C. 3074. Theat Hũ Vita To 3 p. 68. col 1. *Plin. in 34 c. 3. Florus, & alij.*

Li de Serm. Lat pag mihi 397.

Vrbs antiqua ingens Hetruſcis Regia quondam
Felſina, tunc Boijs fato irrumpentibus impar
Accepiſſe nouum fertur Boionia nomen.

Quapropter Boioniam, poſterioribus ſeculis Bononiam dictam (quæ in obſequium Herculis Germanici, primi Boiorum Populorum Patris, Leonem in Signis extollere cæpit) vt Senenſium Vrbem à Senonibus, nuncupatam à Boijs, & Rheno noſtro, ad patrij eorum fluminis imaginem, coniectare licet inditum nomen ab ipſis Gallis; qui etiamſi potentia eouſque viguiſſent, vt Roma, præter Capitolium, capta, coëgerint Ciues ad fœdera

Auentinus Annal Boior. in 1. Sigon. in Faſt.

auro

auro redimenda, vltionem tamen euadere nequiuerunt, T. Liu. in
Coſ. & profligatore Pub. Dolabella Max. Huius namq; 12.
robore ipſorum Copiæ ad Vandimonis Lacum fuſæ, & Di Auguſt.
Gallicum nomen ab Italia deletum. Nec audiendus Lau- de Ciu. Dei
rentius Beyerlink ſcribens, Thurenum vltimum Regem in 3. c. 12.
decennio ante Solium Quiritibus renunciaſſe. Nec om- An. V. C.
mittendum, quòd in ſylua, primo lapide extra Bononien- 470.
ſia mœnia ad Orientalem plagam conſita (ità firmant Polyb. Hiſt.
Codices noſtri) inſidijs Gallorum, denuò Regionem inua- in 2. & alij.
dentium, Lucius Poſthumius Prætor cum viginti Arma- Theat. Hũ.
torum millibus occubuerit: quòdq; ouantes Caput eius in Vita vbi ſu-
Templum tranſtulerint, ac purgata calua, & auro cir- pra.
cumducta pro Phiala in Sacrificijs vſi fuerint. Mox, ge- An. V. C
nerosis Romanorum ſuccreſcentibus alumnis, Pub. Cor- 537.
nelius Cn. fil. L. nep. Scipio Naſica, admotis in Gallos Polyb. Li-
validioribus Signis, propè Idicem fluuium, ad duodetri- uius Zona-
ginta millia proſternit, reliquos ad robuſtiſſimam Vrbem ras, Oro-
Bononiam ſibi tradendam, cum dimidia agrorum portio- ſius, & alij.
ne coëgit: vndè nil mirum quòd & ipſius Corneliæ Fa- An. V. C.
miliæ perampla Monumenta nobis adhuc pateant. His 562
itaque peractis Bononienſes Romanorum arbitratui, vt Iuſtinus in
ferè omnes Italiæ Populi, inueteratam commendare ſta- 31.
tuunt Maieſtatem: C. namq; Liuio M. fil. M. nep. Salina- Plutarc. in
tore, ac M. Valerio M. fil. M. nep. Meſſala Conſularia Catone Ap-
Munia dirigentibus, ante d. 3. K. Ian. tria millia Lati- pian Alex.
norum, per Lucium Val. Tappum, M. Attil. Seranum & L. in Suriaca,
Val. Flaccum IIIviros, ex S. C. deducta receperunt, E- &c.
quitibus de agro ſeptuagenis, cęteris autem Colonis quin- An. V. C.
quagenis iugeribus aſsignatis. Huc tandem adductis per 565.
C. Octauianum Veteranis Cohortibus, Romanorum Mi- Liu in 7.
litum Colonia euaſit Bononia. Quorum Virorum ali- decade. 4.
qua nomina, temporis ſæuitiem, ſeculorum dentibus du- An V. C.
riſſima quæque conterentem, cum effugerint, vt Anti- 722
quariæ rei cupidis proficuam pariant iucunditatem, Deo Dio in 50.
auſpicante, animaduerſionibus, quantum fas fuerit op-
portunis, ſtipata ſpero me editurum, idq; libentiùs, ſi ho-
ſce Studiorum meorum precoces fructus libenter te de-
guſtaſſe intellexero. Sis felix, & faue.

AVrea concusso, quæ Serta simillima Vallo
Fronte gerant alij; præmia fecit honor.

Alterius cingat durantia tempora Gramen;
Ciue aut seruato Grandia serta Iouis,

Clara Triumphalis repediat seu tempora Laurus
Sæpè aut Rostratæ forma repicta Nauis.

Lustra decem GALLI fortes retulere vicissim:
Purpureo Hermeti fulget OLIVA magis.

Cecropiæ, fælix, Heroi Palladis Arbor.
Læto PACE solo, viret OLIVA Polo.

Lineamenta Cippi marmorei. An. sal. MDI è Villa S. Benedicti Comitatus Bonon. effossi. In Vrbemq. translati ad exteriora meridionalia Augustiss. Basilicę Diui Petronij, ubi hodierna luce spectatur altus in p. ix. latus in iii. P. M.

MANILIANI

BONONIENSIS MONVMENTI HISTORICOMYSTICA LECTIO

INTERPRETE
ALEXANDRO NIGRO IO. FRANCISCI F.
I. V. D.
PERINSIG. COLL. ECCL. BONON. CANONICO
PROTONOT. APOSTOLICO.

PATERNI erga Patriam amoris ſectator, Annalium Bononienſium omnimodè abſoluendorum opus, arduum licet, ac meis viribus impar, aſſumpſi. Nec ab inſtituto reuocari potuit propenſio, ſpectans ob hãc multoties antiquiſſimè captam, plurieſq; incenſam Vrbem, omnium prorſus Priſcorum Scripta, quibus res ipſius vetuſtiſſimæ continebantur, interijſſe, & ſi quæ in marmore, vel in ære ſuperfuerunt membratim iacentes conſpici. Duce igitur Patriæ charitate, cuius ope nil mortalibus arduũ, & duro celeriùs ablati Genitoris iubente fato, pro Apparatu pleniſſimorum Voluminum per eundem conſcriptorum, vt ille deſtinauerat, remotiſſimos, ac alto ſeculorum ſilentio inuolutos Illuſtrium Virorum ſpiritus excitabo. Et quidem dum QVINTI MANILII CORDI, vt concordem reddam Ægyptiacam cum Latina eius Monumenti lectione, & claris vocibus è ſepulchro reuocem, haud facilis mihi priorum characterum occurrit notitia. Pinei etenim Coni, Ferarum, Volucrum, Piſcium, Anguium, nec non humani Capitis figuras exhibent: inter quas, cum Virilis alata

Facies medium, tanquam beatiorem, locum obtinere cernatur, ad Charondæ Legislatoris inter Catanenses celeberrimi, à vetusto argenteo nummo desumptam imaginem, & pennigero Sceptro decoratam, reuocat mentem, ac Epistolam superindè duobus hinc ab annis per C. V. Raphaelem Trichetum du Fresne Burdegalensem Genitori meo allatam, denuò legendam satis superque curiosè mihi proponit. Posticam etenim, dum inspicio delineati nummi obsignationẽ, Sceptrum nempè prædictum, symbolum non aliud equidem, vt ipse sapientissimè meditatus fuit amicus, quàm sublimes eloquij vires, ab Ethnicis Caducifero Numini (Cyllenio dicto, eo quod, inquit Festus, sermo sine manibus omnia conficiat) tributas indicare cognoui, & cum Homero conuenisse Venusinum

Diodor. Sicul. in 12.

Mercuri facunde Nepos Atlantis;
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti &c.

Homer. Odyss. in 1. vers. 122. Horat. Carm. in 1. Ode 10.

Hinc solidiùs menti insinuatũ est ab ipso Maniliano Cippo, penes Basilicam nostram asseruato, & solitam Antiquitatis præferente venerationem, haud absimile hieroglyphicum, Facies scilicet iuuenilis hilaritate venusta ridens, deq; capillato capitis vertice, Alas sursum expandens, Famam, Gloriam, & Virtutem præsignantes: & quidem dum curiosiùs hanc Faciem animos ad mysteria trahere considero, sculptam planè intelligo pro imagine eiusdemmet Mercurij; quem olim Hetrusci Camillum, hoc est Deorum Ministrum vocabant, & Ægyptiaca superstitio canino capite figuratum, & lorica munitum Anubim nuncupabat, ac Osiridis olim Regis Pretorianum militem, Isidisque custodem crediderat, exindè à Quiritibus, tanquam vniuersi Spiritum, & vnicam rerum causam adoratum.

Eusib. de Præp. Euãg. in 2. c. 1. Diodor. in 2.

Ea propter(ex Tacito memor Victores, Hermondures haud diuersam aciem Marti, ac Mercurio sacrare consueuisse; & priscos Germaniæ bellatores pro Deorũ maximo hunc excoluisse, ipsiusque Diuinitati propterea aliquando humanis hostijs litandum putasse, ac libamine temperato, eo quod merum rationi, & sermoni plurimum officiat) sum opinatus, ipsum Mercurium in Tutelare Numen ab ijs adoptatum Legionibus, quæ meritis cumulatæ Italiæ agros pro statione perpetua obtinuerũt post inita inter Octauianum, Lepidum, ac Antonium fœdera quinto ab Vrbe Bononia lapide, vt, iuxta Dionis Nicæi testimonium, exponebat olim ibi in marmorea Basi adsculpta Inscriptio, per Ioannem Zaratinum Castellinum, cum alijs permultis, scripto adiecta exemplari cuiusdam libri Antiquarum Inscriptionum, quæ passim per Europam visuntur, Lugduni Batauorum impressi An. S. 1588. *Tacit. Annal. in 13.* *An. V. C. 722.* *Dio in 46.*

DIVO. IVLIO. C. F. OCCISO

M. AEMILIVS. M. F. Q. N. LEPIDVS

M. ANTONIVS. M. F. M. N

C. IVL. DIVI. F. C. N. OCTAVIANVS *Lib. cit. pag. 48. num. 15.*

AD. HVNC. BONONIEN. AGRI. AMNEM

A. D. V. K. XBR. AD. PRID. IAN

D. R. O. IIIVIRATV. SANCIVERE

C. ALEIO. C. F. CARINATE COSS

P. VENTIDIO. P. F. BASSO

Et quidem non inconueniens prorsus videtur credidisse ipsos milites Mercurij tutamini commendatos, dum expressis verbis plura id etiam exponunt Epigrammata, è quibus vnum in Arcisati Castro comitatus Mediolanensis Vir ornatissimus Placidus Puccinellus hoc indicat.

MERCVRIO
L. COMINVS. POE
MIL. LEG. XIII. GEM
BENEFICIARIVS. LEGATI
CONSVLO. ARAM. ET. TECTVM

Lib. Antiq. Inscrip. Mediolanens. pag. 41.

Alterum Viennæ Allobrogum

MERCVRIO
CVIVS. SEDES. AETER
SVNT
AELIVS. CL. LATERANVS
XVVIR. SACR. FAC.
LEG. AVG. PR. PR
LEG. III. ITAL.
V. S. L. M.

Lib. Antiq. Europ. Inscrip. pag. 25. nu. 10.

At ad QVINTI MANILII CORDI Cippum illustrandum properemus, attendentes præsertim mentionem de LEGIONE XXI. RAPACI. quam egisse stationes in Colonia Bononiensi libentissimè sibi suadebit, qui eius CENTVRIONEM ipsum MANILIVM leget, nec non EXACTOREM TRIBVTORVM CIVITATVM GALLICARVM considerabit. Hæc namq; munera subijsse conijciet sub Caio Iulio Octauiano. Quamuis enim Gallia Togata, vt reliqua Italia, ex Triumuirorum decreto libertatis iure gaudere cœpisset; sic referebat Appianuus, Dio tamen scripsit, in subsequenti Octauianum ex ea pecunias coegisse, ac milites conscripsisse. Vnde Alburius Rhetor tunc in cognitione cædis apud Lucium Pisonem Proconsulem, pro reo quodam Mediolani causam dicens, ità excanduit, dum cohiberent Lictores adstantium plausus, vt degenerem Galliæ statum deplorarit, quasi iterum in Prouinciæ formam ipsius Octauiani arbitra-

An. V.C. 712.

Dio. in 50.

An. 713.

Suet. in Octau.

bitratus eandem Galliam redegiſſet: in quem nimirum ab Antonio obiectum, quod cum decem, atque octo Oppida Veteranis aſſignari, totidemque ſolummodò deduci legiones conuentum eſſet, triginta quattuor ille deduxiſſet, ac totam ferè Italiam diſtribuiſſet. Quod neque Dionem latuit, dum inter Colonias, ex Popularibus Latinis, militares Romanorum effectas Bononiam enumerat. Deuicto exinde Antonio alias duodetriginta deduxiſſe Tranquillus habet, ac ad Rempublicam conſtituendam in Vrbem reuerſum recentiori militi diſtribuiſſe pecunias, illi autem, qui ſub perpetuo ſtipendio egerat, populis, qui in Antonij clientela perſeuerauerant, deletis, cum agris Oppida conceſſiſſe. Latiſſimè de Colonijs VVillhelmus Gondeleuæus in Adnot. ad 4. T. Liuij, & Sigonius in 3. de Antiq. Iure Ital. *Dio. lib. præcit.* *An. 722.*

Poſt igitur decimi ſexti ſeculi euolutos curſus, de caliginoſo obliuionis ſpecu QVINTI MANILII fama clarior vt modò aſſurgat, à myſterijs exurgat oratio. Symbolico à vertice Monumenti Romuleo viro olim erecti exordiens, huiuſmodi vetuſtiſſimum Heroa Heroi ſuperſtiti, virtutes omnium ſuperanti, vt ille caput è tumulo rediuiuus attollat, commendare mihi liceat: Ad Purpuratum igitur ſapientiæ decus hæc, rudis ingenij mei non infelici conatu, euiſcerata vetuſtatis rudimenta conſiſto.

In primis hoc Monumentum, quod elucidandum ſuſcepi, ob oculos ponit priſcam conſuetudinem ab Ægyptijs plagis in Orbem ferè vniuerſum diffuſam de Religionis exprimendis myſterijs non vulgata quidem ſyllabarum exaratione, ſed modò volucrum, modò ferarum, modò fructuum, aliarumq; imaginibus rerum deſtinatis. Sic à Diuinis prophanorum curioſitas

ar-

arcebatur, munita meliorum ingeniorum, & sapientum præsidijs arcanorum lectione. Ad apicem itaque Saxi Maniliani, PINEI fructus figuram referentē, tanquam ad præcipuum huiusmodi religiosæ prudentiæ indicium, conuertens mentem argumenta historica depromo: nec aliud comprehendere queo, quàm quòd idē QVINTVS MANILIVS CAII FILIVS extiterit frater illius Lucij Manilij ex Kal. Iul. An. DCCXLVII. sub eodem Octauiano Triumuiri Monetalis constituti. Qui quidem Lucius, ob secundò deuictos à Ti. Claudio Nerone Germaniæ populos, argenteum protulit numisma, quod & ipse asseruo, signatum Augusti laureato capite, ac nomine IMP. CÆSAR AVGVSTVS ab vna, ab altera verò parte Quadriga triumphali PINI CONVM vehente, cum apposita epigraphe TI. CLAVD. TI. F. NERO. COS. ITER. IMP. ITER. in obsequium, vt reor, Cereris Prouinciarum Tutelaris, si fidem Lucretio adhibeamus.

Dio. in 51.

Muraliq; caput summum cinxere Corona,
Eximijs munita locis, quod sustinet Vrbes,
Quo nunc insignis per magnas prædita terras
Horrificæ fertur Diuinæ Matris imago.

Lucret. in 2.

Cudit & alterum cum Iouis vultu in antica, Aquila vnguibus fulmina sustinente in opposita, proprio subaddito nomine L. MANILIVS C.F. III.VIR. Quid ergo obstat, quin à cognatis Insignibus, à concordi genitoris Prænomine, à temporis identitate fraternum liceat inferre sanguinem?

Numismata indicantur præsertim ab Ant. Augustino in Dialog. sub pag. 116, ac 176.

Quod autem Pinus in typum Cybeles non infrequenter statueretur, præ cæteris docuere Apuleius, Diodorus, ac Varro, & alia ostenderūt numismata, aureum præsertim prędicto Octauiano dicatum, effigieq; ac nomine impressum AVGVST. TR. POT. XIII.

COS.

COS. XI. IMP. XLII. P. P, ab altera parte Pomo ipso cũ Inscriptione TI.SEMPRONI. TI. F. GRACCHVS. LEG. PROCOS. Hoc illi Gracchо adscribẽdum censeo, quem Velleius agris diuidundis Triumuirum ex se creatum scribit cum Appio socero, & Caio fratre, admodum iuuene. Cur verò Cereri dicata esset Pinus, indicabat Naso. *An. 743.* *Metam. in 4.*

Et succincta comas hirsutaq; vertice Pinus.
Grata Deum Matri: Siquidem Cybeleius Atys
Exuit hanc hominem, truncoq; indurruit illo,

Hinc Martialis allusio emergit.

Poma sumus Cybeles, procul hinc discede viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Prȩstantissimam pariter ferè innumeri Lapidum Tituli firmant cœcutientis Gentilitatis in Cybelem obseruantiam. Tot enim, tantasq; in terreis nimium cordibus vana illa superstitio radices fixerat, vt, post vetitam à pientissimo Flauio Constantino inanium Deorum culturam, vel euersis, vel clausis, quantum fieri potuit, ipsius Cæsaris iussu, eorundem Templis, ob relaxatum deindè per impios Iulianum, ac Valentinianum nefarium arbitratum, ausi sint multi coram Dæmoniacis Simulachris ad publicam Vicennalium celebrationem regredi. Ità è Romanis epigraphis, sub Anno Diu. Incarn. CCCLXXVI innuebat Eminentissimus doctrina, ac dignitate Cæsar Baronius, hac desumpta ab Ara marmorea grandi, quam & Smetius è S. Lucia in Silice tali pacto exaratam obseruabat. *Annal. Eccl. Tom. 4.*

DIS
MAGNIS
MATRI DEVM. ET. ATTIDI. SE
V.TILIVS. AGESILAVS. AEDISIVS.

Lib. Antiq. Europ. Inscrip. pag. 20. num. 10

V. C. CAVSARVM. NON. IGNOBI
LIS. AFRICANI. TRIBVNALIS. ORA
TOR. ET. IN. CONCISTORIO
PRINCIPVM. ITEM. MAGISTER
LIBELLORVM. ET. COGNITION
SACRARVM. MAGISTER. EPISTV
LAR. MAGISTER. MEMORIAE
VICARIVS. PRAEFECTOR. PER
HISPANIAS. VICE. S. I. C. PA
TER. PATRVM. DEI. SOLIS. INVIC
TI. MITHRAE. HIEROPHANTA
HECATAE. DEI. LIBERI. ARCHI
BVCVLVS. TAVROBOLIQ
CRIOBOLIOQ. IN. AETER
NVM. RENATVS. ARAM
SACRAVIT. DD. NN
VALENTE. V. ET. VALENTI
NIANO. IVN. AVGG. COSS
IDIBVS. AVGVSTIS

Alteram epigraphen è Sacello Mazzeriorum Summi Pontificis in Area Diui Petri idem Annalium Scriptor desumebat à Basi, in cuius dextero latere sculpta Pinus, è qua Crotala, & Fistula pendent, Ariete subtus alligato. In sinistro ipsa pariter arbor, ac binæ Fistulæ, ad indicendas aquarum venas Terræ corpori compactas. De quibus quidem Fistulis latè non minùs, quàm eruditè Macrobius.

Baron. vbi sup.

Saturnal. in 1. c. 12.

DIS MAGNIS.

Lib. Europ. Inscrip. pag. 19. nu. 11.

VLPIVS. EGNATIVS. FAVENTINVS
V. C. AVGVR. P. V. B. P. R. Q.
ARCHIBVCVLVS. HECATE. SA
CERDOS. ISIDIS. PERCEPTO

TAV.

TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQVE
IDIBVS. AVGVSTIS. DD. NN
VALENTE. AVG. V. ET. VALEN
TINIANO. AVG. COSS. FELICITER
VOTA. FAVENTINVS. EIS. DENI
SVSCIPIT. ORBIS
VT. MACTET. REPETENS. AVRA
TA. FRONTE. BICORNES

O ridiculam prorſus, inanemque Gentium religionem, quæ quot Solis, quot Lunæ, quot cæterorum elementorum aſpectus, aut excogitabat, aut viſebat, totidem ſibi Diuinitates ſuadebat Sacrorum varietate venerabiles! Hinc Terram adoratam à Teodontio referebat Pictorius.

Terram confuſam ratus Theodontius author
Singula poſſe quidem, vel ſine fine Deum.

Huic & Numini Hecate nomen faciebat ab Apolline, apud Græcos Hecates dicto: Iouis enim, ac Latonæ filiam iactabant, tergemino Capite repræſentatam, dextero nempè Equino, ſiniſtro Canino, medio Suis agreſtis; vt in Cœlo Luna, in terris Diana, penes Inferos Proſerpina veneraretur. Quapropter Virgilius.

Tergeminamq; Hecatem tria Virginis ora Dianæ.

Quæ ſolemniora eidem chimericę Diuinitati ſoluebantur ſacrificia Lectiſternia nuncupabantur, & anniuerſaria fiebant eo die, quo ab Hoſtienſi Portu in Romanam Victoriæ Ædem ſimulachrum eius translatum fuit per manus Pub. Cornelij Cn. fil. Lucij nep. Naſicæ, adoleſcentis, etiamſi nondum Quęſtorij, Apollineo nullatenus Oraculo inter Quirites Optimi pronunciati, Patrumq; Conſcriptorum ſuffragijs ad hæc *Tit. Liu. in 29. An. 559.*

B Di-

Diuina gerenda prouecti, quæ luce quarta Aprilis intrante fiebant, exponente Ouidio.

Fastorum in ep.

Ter sine perpetuo Cælum verſetur in Axe,
Ter iungat Titan, terq; reuoluat equos.
Protinus inflexo Berecyntia tibia cornu
Flabit, & Ideæ feſta Parentis erunt.

Lectiſternia à lectulis ſternendis dicebantur, eo quod in Templis cubare conſueuerint, qui inter dormiendum vel Oracula, vel Viſiones à Dijs, immo à Demonibus, expectabant, illuſi. Plauti verba audire eſt in Curculione: *Neque incubare te fuit ſatius Ioui, qui tibi iureiurando auxilio fuit*; necnon Tullij referentis ſimilia Deos dormientibus colloqui: vnde Virgilius.

Cic. de nat. Deorum. *Aeneid. 7*

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſq; petiuit,

Suet. in Octau. *Vide Strabonem in 16. circa hunc mat.*

Quis melius id narrat, quàm Suetonius? Acciam enim refert Auguſti matrem in Apollinis Ædibus, vna cum domeſticis matronis, obdormiſſe, vt, ſomno intercedente, diuina comprehenderet reſponſa. Ex Dionyſio habemus, Arcades primos ſub Euandro Cereri Templum conſtruxiſſe, & per fœminas Sacerdotes ſacra ei feciſſe Abſtemia more græco: quem morem productum ad ſua tempora teſtabatur ipſe Auctor: & quidem in Romana Republica, teſte Tullio, ſicuti Cereris ſacra à Græcis aſſumpta fuerant, ità per Græcas, vt plurimum, mulieres nocturno aeris ſono, ſumma religione, ac cæremonijs curabantur. At verò ſub Imperatoribus per Latinas, ac Romanas frequentiùs confici conſueuere, vt non pauca comprobant Epigrammata; inter quæ hoc apud Beneuentanos legitur.

Cic de legibus, & in Verrem.

Lib. Antiq. Europæ Inscrip. pag. 153. nu. 5.

FABIAE. ACONIAE. PAVLLINAE. C. F
FILIAE. ACONIS. CATVLLINI. V. C
EX. PRAEF. ET. CONSVLIS. ORDIN
VXORI. VETTI. PRAETEXTATI. V. C.

PRAEF. ET. CONSVLIS. DESIGNATI
SACRATAE. APVD. ELEVSINAM
DEO. BACCHO. CERERI. ET. CORAE
SACRATAE. APVD. LAERNAM. DEO
LIBERO. ET. CERERI. ET. CORAE
SACRATAE. APVD. AEGINAM
DEABVS. TAVROBOLITAE. ISIACAE
HIEROPHANTRIAE. DEAE. HECATAE

Amiterni pariter (cuius Vrbis ruina Aquilæ ciuitatis incrementum fuit) ſequens habebatur.

D. . M

M. CAESIO M. F. PAL. MAGNO
IIVIR. I. D. IIVIR. QQ. IIII.
SACERDOT. PVBLIC. CERER.
M. CAESIVS. MAGNVS
CAESIA. SEVERA. PAREN
TIBVS

D . D

BIS

In auctis per Caſtel. linum.

Non tamen hæc Atticæ Cereris ſacra ſunt, quibus etiam viri initiabantur, ſed omninò Deæ Cereris, cuius Hieroceribus, hoc eſt Sacerdotibus, Olympicos ludos ſpectare licebat; vnde Suetonius, Neronem Virgines Veſtales ad Athletarum ſpectacula inuitaſſe, refert. *Suet. in Nerone.*

Sed, vt ſtrictiùs rem propoſitam ſequar, non inopportunum duco, me non oblitum apud Sereniſſimum Alphonſum Mutinæ Ducem inter Conſulares argenteas monetas illam extare, quæ à Triumuiro Marco Volteio M. fil. M. nep. in obſequium eiuſdem Cybelis cuſa fuit: adſculptam etenim figuram eius intuebar

rhedæ insidentem, cui Leones iugati, vt Apuleio placuit, ad exprimendos Atydis furentes amores; si verò Diodori mentem sequimur, ad innuendum eandem Deam generosis nutritam extitisse animantibus, licet non desint, qui id significare scribant, nullum genus tam remotum, tamque ferox adesse, qui naturæ viribus subigi nequeat. Ego tamen crediderim Cybeleis Leonibus diurnum Planetam designari, eius nimirum calorem igneum, & viuificum, quo natura parens vtitur ad rerum omnium perennem generationem: capite enim magno præditum hoc animal, pupillas ignitas quosdam vibrantes radios, faciemque sphæricam circumquaque radiorum more, crinibus aureo colore flauentibus, sparsam habet. Hori nomine Sol ab Ægyptijs dicebatur, & hinc temporaneæ Horæ mutuatæ sunt nomen, eo quod earum ordinato cursu eius munera definiantur. Solio eapropter Phœbi prisca secula supposuere Leones, magnanimas feras cum Patre luminum conuenientiam maximã habentes, post etiam emissos spiritus; teste namq; Æliano, ex collisione ossium ignis excitatur, quod elementum Soli proprium est, & hac de causa adscriptum Zodiaco Leonem prodidit Valerianus, cuius & gradus Sol calore validiori permeat.

Orapoll. in Hieroglyph. Aegyptior.

Visitur præterea in QVINTI MANILII sepulcrali Herma sub Leonum vnguibus ex vna parte Accipitris caput, cum Arietino Cornu; ex altera vertex Aquilæ cum Canina auricula; & hæc quidem Auricula fidam Tumuli præsignabat custodiam: Arietis autem Cornu Accipitrino capiti iunctum fœcunditatem, ac ęrumnarum profligationem prænunciabat. Hæc namque regia Auis animo non minus, quàm vnguibus armata, gratitudinis symbolica est: brumali enim tempore, dum

Diodor. in l. c 2.

Nicolaus Vptonus de Milit. Off. l. 4. pa. 173.

dum cuncta gelu laborant, vt sibi prospiciat, obuium quodcunque volatile, quod sors obtulerit animatis aucupata vnguibus, nocturno retinēs tempore ad fouendum sibi calorem, clarescente diei ortu dimittit, vsque adeò libertatis amans, vt eandem libertatem in alijs, pro grati animi significatione, liberaliter reficere gaudeat: ac licet inopia, & fame ad auem vorandam stimuletur, beneficium nihilominus libertate compensat. Sunt eiusmodi volucrum species pluribus Populis Solis typus, quippè quæ peculiari quodam naturæ priuilegio, per innatam virtutem, illius sphæram inconniuenti oculo prospiciant. Porphyrius quidem hoc Luminarium maximum Accipitris forma pictum scriptis tradebat. Habet, vt ipse refert Porphyrius, naturam totam sanguine, & spiritu constantem, eaq; est erga homines commiseratione, vt iacentibus cadaueribus ingemiscat, ac lumina ad terram defigat. Nec ommittam, quod ex Æliano retuli, Aquilæ nempè, & Accipitris pennas, si cœteris volatilium commisceantur, has calore proprio absumere.

In Nicol V-ptonum nota pag 65.

Porphyr. apud Euseb. de prap. Euang lib. 3. c 4.

Diu. Isidorus in 12.

Aries, qui sibi nomen fecit ab Aris, eo quod pecudũ aliorũ primus à Gentibus imolatus, Aras fumo compleuerit, quiq; iuxta Mosaicam sanctionē, mundissimus, ac aptus ideò ad Sacrificium, & ad escam, fortitudinem præfigurabat, non modò ob robustissimã frontem, sed ob cartilaginosa tēpora, munita Cornibus, quæ reflexa quandam clypei formam gerunt, bellicæ fortitudinis argumentum. Hinc fortè à latinis Aries, quasi deuotus τῷ Α'ρηι, idest Marti, cuius quoq; in Zodiaco Aries domus ignea Masculina diurna ab Astronomis assignatur. Aries corporis magnitudine, animi robore, ac præstantia ouibus præcellit, capite erecto, fixo pede, vngula diuisa, vestigio firmius terram premit. Typus

quo-

Orapollo in Hieroglyph. quoque fœcunditatis habitus eſt, cum priùs, & celerius cæteris coeat. Sed quid Arieti cum Accipitre? Nihil apud priſcos Sapientes inauſpicatum, inconſultum nihil. Arietis namque Accipitrino capiti compacta conijcio Cornua, ad Aſtrologorum ſententiam ſcribentium, Mercurium in Ariete collocatum ornatam orationis promptitudinem, ac plenam dicendi facultatem influere. Hinc forſan alluſio, quòd Eloquentia mediatrix fuerit in præmemorato Triumuirorum congreſſu, vt terræ, mariſque tripartitò diuideretur Imperium. Quanti valeat vtique facundia, teſtes ſunt præclariſſimi quique Reipublicæ Heroes, teſtes caſus inſperati, facundiæ ope ſedati, teſtis hodiernus Sacer Mercurius, inueteratæ hoſtilitatis direptor, & fæliciſſimæ Oliuæ inſertor.

Pier. Valerianus Hierogly. in 10.

At Maniliani Buſti Hieroglyphica proſequamur. Cingunt Mercurij faciem bini Serpentes, ſuper ipſius caput, vt in Caduceo, conuerſis ad inuicem, iunctiſque capitibus, caudis verò ſub mento complicatis. *Saturnal. in 1.* Proderit ergo mihi tanti feciſſe Macrobij allegoricum ſenſum, deſcribentis Caduceum cum Anguibus notiſſimis. Refert itaq; in Mercurio coli Solem, quem & Ægyptij finxerunt in ſpecie Draconum & maris, & fœminæ coniunctorum, hoſque Mercurio ſacratos eſſe voluerunt. Dracones parte media ſui voluminis implicantur in nodum, quem vocant Herculis, prioreſq; partes reflexę in circulum, oculis preſſis ambitum gyri iungunt, poſtea ad capulum Caducei caudæ reuocantur, ornanturq; alis, ex eadem manubrij parte naſcentibus. Hinc argumenta Caducei ad Genituram faciunt hominum, quam Ægyptij Geneſim appellant, præfigurando homini naſcenti Deos quattuor Præſides, Δαίμονα nempè, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην

hoc

hoc est Genium, Fortunam, Amorem, ac Necessitatem, è quibus duos priores Solem & Lunam intelligunt, eo quod Sol author caloris, ac lucis, humanæ vitæ genitor sit, & custos. Nascenti idcircò Dæmon, hoc est Deus putabatur, nec non Vegetabilium fautor, omniumq; propè bonorum productor, quem Claudianus alloquebatur.

Qui vitam lætumq; regit, nam quidquid vbiq;
Cingit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi certis ambagibus æui.

Hinc Pluto Sol inferior, ipso monente Macrobio, dictus est: nec verba omittam: *Inferi autem nomen Soli datur, cum inferiori Hemisphærio, idest hyemalibus signis cursum suum peragit; Superi, cum partem Zodiaci ambit æstiuam.* Tradiderunt ea propter Poëtæ, Plutonem Proserpinam rapuisse, quia mensibus hybernis semina sub terris latent, vigoreq; solari fouentur, vt suo tempore in herbas, & fructus erumpant, quo tempore Proserpinam, quam vel frugum Genitricem, vel aridorum germinum Virtutem esse aiebant, mox ad lucem reduci opinati sunt. Hic Orpheum tempora alloquentem audire iuuabit. *Proserpinæ collusores, quando Parcæ illam, & Gratiæ circularibus choris ad lucem reducunt, Ioui gratificantes, & Matri fructuum datrici.* Hoc pariter senserunt Porphyrius, & Arnobius, cuius postremi hæc verba sunt. *Ille, qui raptam Dite à Patre Proserpinam dicit, non, vt reris, in turpissimos appetitus Virginem dicit raptam, sed quia glebis occultamus semina, iuisse sub terras Deam, & cum Orco significat fœdera genitalis conciliasse fœturæ.* Nil itaque mirum si talibus de causis Ægyptij, & Persæ pro Summo Numinum adorauere Solem, largifluum luminis fontem, ex eo.

Quod Maria & Terras, Cælumq; rigando

Macr. Saturnal. in 1. c. 39.

Orph. in Hymnis.

Porph. apud Euseb. de Prep Euäg. in 3. c. 3.

Arnob. de ...rium fabul. in 1.

Lucretius in 5.

Com-

Compleat, & calido perfundat cuncta vapore.

Eſt profectò maximum hoc Luminare inter erronea ſydera à ſempiterno Numine creatum, in ſuæ incomprehenſibilis Maieſtatis typum, & argumentum. Apud Latinos Sol vocatur ex cauſis carmine expreſſis apud Martianum Capellam.

De Nupt. Philolog. in 11.

Solem te Latium vocitat, quod ſolus honore
Poſt Patrem, ſis lucis Apex, radijſq; ſacratum:
Bis ſenis perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menſes, totidem quod conficis horas.

Solarem imaginem memorato Diademate redimitam ex pluribus nummis dignoſcimus. Eſt apud me argenteus Marci Aburij Gemini Quæſtoris, quem duplicatum reuiſi in ditiſſimo Eſtenſi Muſæo, & à Gorleo indicatum. Non deſunt præterea, qui gemmatam exponant, quadricoloremque aliquando Phæbi Coronam: inter quos Albricius Philoſophus.

An. 561. Abrahamus Gorl. in Theſ. rei antiq.

Albric. de Imaginibus Deorũ Capel. & in 1. de Nupt.

Non erit pariter inauſpicatum Delphines in hoc QVINTI MANILII Sepulchrali Saxo appingi: vt nimirum Mercurio Piſcis dicatus monſtraretur, ac Terra iam per Pinum deſignata, Maritimi quoque Imperij per natantes belluas congrua ſymbola iungerentur. Delphin inter Piſces Regiam ſuſtinet Maieſtatem, & ea propter Neptunus, dum ab Antiquitate inciſus cernitur, illum Delphines comitantur: qui, tanquam ſalutis, & incolumitatis ſeruatores, frequenter habentur, quemadmodum caſus ſæpè ſæpiùs per mare contingentes à fama, & hiſtoricis relati vulgo etiam teſtantur. Hic Princeps ſquamoſus tempeſtatum præſcius nauigantibus ſollicitat iter; hic vocari amat; hic cantus humanos audit libenter; hic tandem Crocodilo hoſtis homini infeſtiſſimo. Eſt Veſpaſiani vulgatum numiſma cum Delphine Anchoram

Iacob. Phil Tomaſinus. lib de Donarijs, ac Tabel. votiuis cap. 31.

Pier. Valer. Hieroglyph. com. in 27.

am-

amplectente: lentè festinandum præmonens, in Anchora tarditatem, in Delphine celeritatem præsigurans. Vlysses, teste Plutarcho, annulos, parmam, & ensem huius natantium Proceris effigie obsignatos gestare solebat, eo quòd Telemachum filium periturum Delphin seruasset. Hercules in Clypeo hoc animal argento, cæterorumque piscium turbam ære expressam deferebat, si aurem præstamus Hesiodo. Athenæus inter Græcos V. C. scriptum reliquit, Cæsarem Principi illius Regionis, quæ nunc Delphinatus, Delphinem donasse, quo pro Insignibus vteretur: eo quia ad Gallos debellandos suppetias contulisset. Nec desunt exempla Sacra, dum Diui Luciani Martyris, Maximiano iubente, in æquora proiecti Corporis, vt honores Sepulchrales minimè consequeretur, pium ad littora Delphinem admiramur delatorem. Liceat vlterius mihi dicta cõfirmare numismatibus diuersis, è quibus solidiora conijcio argumenta. Ex illo, inquam, Marci Agrippæ Lucij fil. Consulis tertiùm, quod Senatu decernente Neptuni reducis Simulachro signatum extitit, expressa Numinis dextera Tridenti altè innixa, & sinistra Delphinem exporrigente. Ex altero Quinti Nasidij eundem Neptunum monstrante cum Stella, & Carbaso tumente ab vna, ab altera Caput Numinis Tridente armatum, inferius Delphin, cum notis NEPTVNI; ob Nasidij tutè peractam nauigationem exprimendam. Tandemque ab illo Neronis, cui adsculpta Ostiensis Portus topographia: cernitur enim ipso in Portu Neptunus sedens, in quietis indicium, dextera temonem solo adprimens, & Delphinem amplectens, in securitatis argumentum.

Plut. in Vitis.

Athe. in Commẽt. de rebus Britannorum.

Baron. Annal. Tom. 3. sub Ann. 326.

Hoc itaque pacto propositi MANILIANI Cippi legendi videntur Ægyptiaci Characteres. Sed quid

obſecro manifeſtiùs depromit Antiquorum vanam Theologiam, quàm vmbratæ Imaginum ſimilitudines, ad documenta populorum, ad ingeniorum contemplationem, ac ad vulgi admirationem! Mos ipſis Gentibus quidem fuit, vt præmittebamus, arcana Deorum maiora, vel omninò tegere, vt apud Athenienſes Sacra Cereris, vel allegorico myſterio doctis inſinuare. Sic, perſpecta iterum è propoſito Lapide Mercurij facie, recurrit ingenium ad ſenſum Carminis,

Horat. in 1. Ode 10.

Tu pias lætis Animas reponis
Sedibus, virgaque leuem coerces
Aurea turbam: Superis Deorum
Gratus, & Imis.

Deridenda etenim ſuperſtitio Corpora Cereri in æternum deberi exiſtimans; vita pariter functorum Spiritus per Mercurium ſuſcipi, hoſque vel innoxios ſupremo Ioui reddi, vel noxios ad Plutonem inferum deduci autumabat. Pythagoras ideò, vt referebat Laertius, ipſum Numen diſpenſatorē modò, Quęſtoremque, aut Deductorem Animarum appellabat, nec non Cœlorum Ianitorem. Hinc facilè erit intellexiſſe, cur Triceps: quod nempè in Cœlo, in Terra, & apud Tartara verſari conſueuerit. Virga autem eius aurea, Pennis, & Anguibus inſignita, huic myſterio aptari clareſcit, dum ab Apolline profecta fingitur, nihilque in ea mirabilius, quàm Supera, & Infera penetrare, ac ipſi Naturæ imperitare poſſe, perhibetur, iuxta metrum.

Laert. in Vita Pithagora.

Macrob. Saturnal. in 1. c. 17.

—— cantu finditq; ſolum, Maneſq; Sepulchro
Elicit, & rapido deuocat oſſa rogo.

Sed longè Ouidiano melius Virgilianum Carmen;

Tum virgam capit, ac Animas ille euocat Orco

Pal-

Pallentes, alias sub tristi a tartara mittit;
Dat somnos, adimitq; & lumina morte resignat,
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila, &c.

De his hoc loco satis: cum plenissimè fuerit mihi sermo historicè interpretanti Ænigmaticum Epitaphium.

D. M
AELIA. LAELIA. CRISPIS
NEC. VIR. NEC. MVLIER. NEC. ANDROGYNA
NEC. PVELLA. NEC. IVVENIS. NEC. ANVS
NEC. CASTA. NEC. MERETRIX. NEC. PVDICA
SED. OMNIA
SVBLATA. NEQ. FERRO. NEQ. FAME. NEQ. VENENO
SED. OMNIBVS
NEC. COELO. NEC. TERRIS. NEC. AQVIS
SED. VBIQVE. IACET
LVCIVS. AGATHO. PRISCIVS
NEC. MARITVS. NEC. AMATOR. NEC. NECESSARIVS
NEQ. MOERENS. NEQ. GAVDENS. NEQ. FLENS
HANC
NEQ. MOLEM. NEQ. PYRAMIDEM. NEQ. SEPVLCHRVM
SED. OMNIA
SCIT. ET. NESCIT. CVI. POSVERIT

Visitur primo ab Vrbe Bonon. lap. in ædibus Sen. Volta ad Casalcaltam.

Hoc in marmore ab Antiquitate relictum videtur, vt sublimiora quæquæ posterornm ingenia ad sensum euiscerandum stimularet, vel, si opportuniùs loquar, vt inter summam hæsitationem mentes complicaret.

Vt verò nobis, iam expeditis per Orientales notas à Sacris rerum notionibus, nostri QVINTI MANILII pateant, tùm nobilitatis, tùm dignitatum gradus, cum

 non

non defuerint, etiam non ineruditi Viri, qui ipsam exarationem, vel puncta obscurarunt, statui per extensa verba lecturam faciliorem exponere.

QVINTO. MANILIO
CAII. FILIO. CORDO. CENTVRIONI
LEGIONIS. VNAEETVICES[illegible] RAPACIS
PREFECTO. EQVITVM. EXACTORI
TRIBVTORVM. CIVITATVM. GALLICARVM.
FACIVNDVM. CVRAVIT
CERTVS. LIBERTVS
IN. AGRO. PEDES. XLIV. IN. FRONTE. PEDES. XLIV.

Nec memoriæ in primis demandasse pigeat notionem postremi huius Viri Cognominis. Iure enim, ac merito, dum à natiuitate istud contractum cerno, fore præmittendum puto, deque eo aliquid dicendum. CORDI igitur, vel Obsigonæ agnominabantur, qui vltra statutum naturæ tempus in vtero residebant. Sic inter Gracchos, Mutios, Allienos, ac Cœsios pro comperto habetur. Haud enim fuit peculiare Agnomen MANILIÆ Gentis: cuius splendores præclarissimos eo libentiùs modò è lapidibus, modo è metallis, ac tandem à Scriptorum documentis hac opportunitate loci prospicere decreui: cum de tanta Familia Vrsinus, Augustinius, Gorlæus, ac Streiennius minimè scripserint in suis de Priscis Romanorum Familijs eruditissimis Tractatibus.

Halicar. in 4. Quintil. in 1. c. 17. Varro de Rust. in. 2. c. 1.

Fluxisse itaq; hanc Sobolem liquet à Tusculanorum Duce Manilio Octauio, Genero Tarquinij Septimi Quiritũ Regis, Lucij Filij, Damarati Nepotis, qui cum ab Anno post V. C. CCXIX ad CCXLIV iniussu Populi, & sine Patrum auctoritate Sceptro potitus fuisset, ex die V. K. Mart. primis Consulibus eiusdem Populi,

Raph. Valater. Côment. Vrbanorum in 17. pag. mihi 195.

puli, ac Senatorum suffragio ad regendam Rempublicam creatis, Vrbe, ac Regno exactus est; apudque ipsum Manilium receptus fertur, & summoperè suffultus, in Quirites tulisse bella, quorum famam, tanquam satis superq; celebrem, non est cur recenseam, dum Maniliorum Procerum nomina ad gloriosam perennitatem proponere festino; primùm desumens ab Vrbe ex Hortis Ædibus Diui Stephani adscitis.

MANILIA. PAVLLA *Lib. Europ. Inscrip. pag. 170. nu. 26.*
DE. PATRIMONIO. SVO
SIBI. ET
AVRELIO. PAVLLINO
COMPATRI. SVO
DOMVM. AETERNAM

Alterum è Vinea olim Cardinalis Carpensis. *Lib. eodem pag. 77. n. 7.*

MANILIAE. LVCILLAE. C. F
MATRI. PIISSIMAE. ET
INCOMPARABILI
CAESONIVS. LVCILLVS. V. C
FILIVS.

Tertium ab Auentinis Maximorum Hortis.

SILVANO. SALVTARI *Lips. in Auct. pag. 32.*
L. MANILIVS. SATVRNINVS
EX. VOTO. POSVIT

Quartum extra Portam Salariam à Ioanne Zaratino indicatum.

D I S. MAN *Io. Bembus in manuscripto lib. pag. 46.*
MANILIAE
AGATHONIDI
VIX. AN. XVI
C. BLANDIVS

CONIVGI. SVAE
KARISSIMAE
ET. BENEMER
POSVIT

Quintum à Matera Apulorum Ciuitate;

Lib. Europ. Inscrip. pag. 172. nu. 14.

C. MANILIO
C. F. HOR. RVFO
SEXTILIAE. P. F
DATAE. VXORI
SEXTILIAE. C. L
PRIMOGENIAE
ANNORVM. XIII
DELICIO. EORVM
DATAE

An. 271. Pl. Trib exinde Imp. Militum Halic. in 8. a. in 10. An. 287 Trib Pl. An. 291. An. 274. Coss

Sed pleniùs redũdantes Historicorũ paginas inclytis Maniliorũ monumentis peruoluamus: prodeatque omnium Heroũ primus Caius amplissimę famę in Tribunatu Plebis, ac bono Reipublicæ natus, non minus, quàm Marcus, & Sextus; & se promat ex seditione, quæ in Algido à Decemuirorum impotentia exarsit, per milites Ducem selectum.

An. 280. ac 304. Holean. in Cronolog.

Succedant Manilius, prænomine Cneus, agnomento Cincinnatus, & Caius Manilius Vulso Consules Vrbis à Gregorio Haloandro relati inter Annorum digestionem Codici Iustiniano insertam, vt habet Exemplar Norimbergæ impressum An. S. 1530.

An. 367. Holean. in Cronol. T. Liu. Hist in 5.

Aulus Manilius cum Lucio Virginio Tricosto, Lucio Posthumio Albino, Aulo Valerio Publicola, Publio Cornelio, & Aimilio Mamertino ter Militibus pro Tribuno datus.

An 145. T Liu Hist in 7.

Caius Manilius Attilius primus è Plebe Maximus Curio Aimilio Papio suffectus. Hic animaduertendum,

ctum, longè aliud esse de Plebe, & Plebeium: nam hic esse dicitur, qui non est Patricius; ille, qui nec Senator, nec Eques. Plebeius ergo ad genus spectat, de Plebe ad Ordinem: Tripartitus enim erat tunc vniuersus Populus Rom. in Senatores, Equites, & de Plebe. Ideò Ausonij Carmen.

Martia Roma triplex Equitatu, Plebe Senatu.

Vnde imperiti sępè hoc ipso quòd aliquẽ è Plebe scriptũ legunt, ignobilem, & obscurũ inaniter sibi suadent.

Seruius in Iuuenilibus Ferijs. c. 3.
Cicero in Bruto.

Caius Manilius Limitanus, qui Tribunicia facultate defunctus, legem protulit, vt in eos quæreretur, quorum studio, & consilijs Iugurtha Decreta Senatus neglexisset. Qua lege Iudices Gracchani quattuor è Consularibus viris, & vnum Sacerdotem sustulerunt.

Liu. Hist. in 4.

Publius Manilius Pub. fil. Ordine Patricius, Tribunus Militum cũ Collegis Publio Titinio, Pub. Melio, Lucio Furio Medullino, & Lucio Popilio Volsco, constitutus tum, cũ Publius Licinius Caluus ex Plebe, fauente sibi Consulum potestate, huiusmodi munus vsurpare ausus est, non sine ipsius Plebis vltima admiratione; nullis enim vir ipse antea effulserat honoribus.

An. V. C. 550.
Liu. in 45. Hist. & 61. Epitom.

Publius Pub. fil. Pub. nep. Ædilis primò, ac Prætor Vrbanus dehinc in Sicilia, ac tandem à fugitiuis seruis Castris exutus, & profligatus, post res Lucij Anicij in Illyrico compositas, & Regem Gentium captum.

An. 582. Aedil.
An. 587. Vrb. Prat.
An. 608. Prou. Prat.

Marcus pariter Publij fil. Pub. nep. in Capitolinis marmoribus Consul descriptus, ac Prouincialis Quæstor: cui tribuendum censeo elegantissimæ artis ęreum numisma, in quo rostrata Nauis, & Herculis Clauigeri Caput, cum notis M. MANILIVS ab vna partium, ab altera Romæ imago galeata, vt cerno in meo domestico Musæo. Ipsum arbitror Marcum I. C. cæso matris vtero luci editum; illum nempè, qui ante Afri-

An. 615. Legatus.
An. 616. Profliq.
Cic. in Bruto Appianus in Libico.
T. Liu. Epitome in 50.
V. Max. in 5. c. 2.
An. 583.

An. 595. Quæst. An 600. Cos vel vt alijs placet an 604 An. 605. Procos.

canum Proconsulatum Romæ Quæsturam gesserat, & Consularia munia obiuerat, Collega Lucio Marcio C. fil. C. nep. Censorino, & bello Punico tertio vertente Carthaginem obsederat, ac oppugnauerat. Is per M. Tullium inter coætaneos eloquentia pollentes enumeratus mirum in modum commendatur, dum Pub. Scæuolæ non impar describitur. Is Sacrorum Pontificalium peritissimus fuit, & ex illis, qui transuerso foro ambulare, & responsa dare solebant. Is tandem Decimum Sollanum, quòd Prætor Macedoniam expilasset, Causa discussa, abdicauit, & relegauit.

Salust. in Iugurt. Plin in 33. c. 1. P. Victor. de Vrb Regio. An. 641. Quæst.

Eluceat Lucius, agnomento Mancinus, Quæstor Prouincialis, & Pleb. Tribunus; qui legem tulit, qua C. Mario bellum Iugurthinum decretum est; qui, vt reor, Legatus pro eodem Bello ad ipsum Marium missus est; qui in Vrbe, Ædilitiæ rei dum præsideret, Ludos, & Scholas publico beneficio excitauit.

*An. 648. Tr Ple. Legislator. An 649. Aed. * An 617. Quæst Steph Vinād. Annal Rom. tom 1*

* Publius à Vinando creditus nepos Marci Manilij I. C. qui Cos. Anno 604. Prouinciali Quæsturæ addictus, ac iterum vt aliquibus placuit, Vir Consularis sub Anno 635. portentis celeberrimo. Fertur itaq; in eius decursu lacte pluisse, terram cum mugitu tremuisse, examen Apum in Romano Foro consedisse, ac triplicis sphæræ imagine Solem apparuisse. Sed, omnimoda quidem dubitatione semota, vir ipse fuit, qui Præturam in biennium assequutus, Consulari effulsit dignitate non An. 635, sed 630. vt ex antiquis claret.

An. 661. Legislator. V. Max. in 6 c 2. Holcan. in Cronol Liu Epitō. li. 99.

Accedat Caius à præmemorato Publio I. C. (ni conijcerem incomptè) genitus I. C. ac Pl. Trib. à quo binæ dimanarunt Sanctiones, altera nempè de Libertorum suffragijs (quæ cum S. C. damnata extitisset, ab ipso etiam abiecta est) altera de bello Mithridatico ex-

tra

tra ordinem Cnæo Pompeio demandando; pro qua extat Cic. Oratio. Hunc eundem puto Caium, quem Haloander antè gestos Plebis Magistratus Anno 649. cum Agnomento Maximi adscripsit Consularibus Fascibus, cum Publio Rutilio Ruffo; & Paterculus venalem alienæ potentiæ Ministrum repræsentauit.

Titus Publij fil. Caij frater, quem Cicero ornatissimum Senatorem appellat, ac adhibet testem in Causa Q. Roscij; celebrando, tanquam ætate grandæuum, natura Sanctum, ac religiosum. Apud hunc Vrbis Prætorem Marci Curij Causam tutatus est Lucius Crassus Orator. Hinc igitur, cum pateat T. ipsum hac tempestate floruisse, planè arbitror eundem extitisse, qui Magistratus Curules peramplos gessit, de quibus Plinius, suppresso Titi Prænomine scripsit: Magistratus, inquam, illos à plerisque Scriptorum attributos Marco Manilio (quem aliqui Caium prænominatum volunt; & ex his Volateranus, argenteum memorans nummum cum illius imagine, Sphæra insignita) Marco illi nempè, qui sub Augusti Monarchia claruit ob Præturam Vrbanam, nec non ob Prouincialem: qui Astronomica quinque Volumina latinis conscripta versibus eidem Imperatori dedicauit: qui in Martio Campo erectum Obeliscum in Gnomonis horarij vsum deduxit. Nec Plinij mēdis fides adhibenda, si pro Manilio Manlium scribat, antiquiora siquidem eius librorum exemplaria studio cultiora Manilium, non Manlium vbique legendum proponunt: non enim Maniliam & Manliam eandem existimo Sobolem fuisse, vt Æliam, Ailiam, & Alliam, ad sensum Fuluij Vrsini, legimus pro vna ipsa testificatam. Verumtamen ipse Plinius, vt ad Titum reuertamur, vbi de Phœnice Aue Solitaria scribit, ex cuiusdam Manilij auctoritate, cum multa de-

Plin. in 10. c. 2.

Vrb. Commentar. in 117.

Plin. in 35. c. 17.

Plin. in 36. c. 10.

Fuluius Vrsinus in lib. de antiq. Rom fam.

Plin in 10. c. 10.

D sum-

ſumpſiſſe fateatur, ſatis indicat illum ætatē longè præceſſiſſe Diui Auguſti tempora, dum aſſeuerat, eodem Manilio indicante, Magni Anni conuerſionem fuiſſe
An. 656. ſecutam Coſſ. Cn. Cornelio Pub. fil. Cn. nep. & Pub. Licinio Marci fil. Pub. nep. Craſſo, Sic namque de eodem perhonorificè loquitur. *Primus, atq; diligentiſſimus Togatorum de ea prodit Manilius, Senator ille maximis nobilis doctrinis, neminem extitiſſe, qui viderit veſcentem, in Arabia viuere annis centum ſexaginta, &c.* ac poſt alia. *Cum huius Alitis vita Magni conuerſionem Anni fieri prodit idem Manilius, iterumq; ſignificationes tempeſtatum, & ſyderum eaſdem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die Signum Arietis Sol intrauerit, & fuiſſe eius conuerſionis annum, &c.* Prædictis nempè Cornelio, & Craſſo Conſularia miniſtrantibus: in quem pariter Annum huius T. Manilij Tribunitia Poteſtas excurrit, vtcunque conſtet de Prætoria ſub *660*, obque prorogatum Imperium de Prouinciali eius Quæſtura ſub *664*.

T. Liu. in 90. *An 660. Trib. Pl* *An 671. Vrb. Prat.* *An 673. Prat ext* *An. 675. Procoſ*

Lucius nec deſit nobis Tribunus Plebis, ad Vrbanam, moxq; ad Prouincialem Narbonenſis Galliæ Pręturam aſſumptus, ac Proconſularibus munijs intentus eo tempore, quo per Herculeium Sertorij Quæſtorem, cum Marco Antonio Legato ſe victum, & profugum agnoſcere coactus eſt. Hiſpaniam petiuerat, vocante Metello, ternis Legionibus, ac mille vltra quingentis Equitibus ſtipatus.

An. 691. Aedil *Vinand Annal. Rom. Tom 3.*

Caius Manilius Criſpus Ædilitiæ Pl. curam, lapſoq; biennio Prouincialem Præturam ſemel ac iterum ſuſtinens.

Ped. in arg. Orat. pro Milone.

Manilius Caninianus Quæſtor, nec non Pl. Trib. de quo Pedianus verba faciens, aſſerit ipſum, cum Marco Cœlio Collega, Galatam Milonis ſeruum, à Triumuiro Capitali captum, liberaſſe.

Ma-

Manilius quoque Cornutus hic ſiſtat ex Prætorijs Legatus Aquitannicæ Prouinciæ ſelectus; quem Plinius mentagra laborantem, vt curaretur, ad ſe veniſſe, & H-S ducenta erogaſſe ſcribit. *Plin. in 26. c. 1.*

Tandem ad illuſtrandam tot Heroum ſeriem properet Manilius Tuſculus, ſub Quinto Caſſio Proprætore inclytus miles ad bellum Ciuile in Hiſpania;qui eadem Prouincia ſubacta,Italiam reuiſiſſe ouans fertur. *Hirtius in 7. Dio. in 41.*

Sed quoniam ſub ipſa ſcriptione defatigaretur potius dextera,quàmquod huius Nobiliſſimæ Stirpis deficerent enumerandi Viri; ommiſſis alijs, noſtri QVINTI MANILII CORDI in vtroque militari munere, CENTVRIONIS nimirum, & PRÆFECTI EQVITVM dignitatem liceat recognoſcere à Ioanne Roſino rerum antiquarum ſcientiſſimo, referente,neminem inter Legionarios adſcribi potuiſſe, qui Ciuis Romanus, Ingenuus, ac ſaltem in quinque Claſſibus cenſus, ac ludicræ artis expers non fuiſſet; vndè Seruos Libertinos, Pueros, Capitecenſos, ac Hiſtriones, nonniſi vltima cogente neceſſitate, ac in dubijs rebus, pro Republica legimus ad Arma vocatos Qui Legionarijs Ordinibus adſciti erant, quampluria commoda ſortiebantur. Patebat ſiquidem eis ad militaria munera acceſſus, non denegabatur Cohors Prætoria, & competebat ſtipendium: concedebatur præda, & addebantur dona Imperatoria. Pro quorum omnium pleniſſima notione ad ipſum Scriptorem non perperam erit cuique Studioſo acceſſiſſe. Hic tantummodò apponam Centuriones illos fuiſſe, qui ſingulis Ordinibus in Legione præerant. Legio, autem in decem Cohortes diuidebatur; ſingulæ rurſus in Ordines ternos, exceptis Velitibus,diſtributę deſcribebantur. Qui Ordinibus illis præerant Centuriones appel- *Roſ. Antiq. Rom. in 10. c. 4.*

 lában-

labantur, & sic deinceps vsque ad decem: nam qui decimæ Cohortis Triarijs præerat, decimi Triarij Centurio nuncupabatur. Si quis plura desuper desiderat Carolum etiam Sigonium, & Aldum Manucium descriptores sapientissimos adeat.

De Præfectura pariter militari, ad quam tunc temporis non opes, non gratia, non fauor, sed virtus, iustitia, & robur Viros prouehebat, cognoscere erit apud Vegetium. O quantum detestarentur prisci hodiernum quorumdam militantium abusum, non gloriam quærentium, sed spolia & prædas effrænemq; viuendi

Veget. in 2. libertatem sectantium! *Proprius Iudex*, inquit Vegetius, *erat Præfectus Legionis, habens communem primi Ordinis dignitatem; qui absente Legato, tanquam Vicarius ipsius, potestatem maximam retinebat. Centuriones verò, Tribuni, cæteriq; milites eius præcepta seruabant. Vigiliarum, seu Profectionis Tesseræ ab eodem petebantur. Si miles aliquod crimen commisisset, auctoritate Præfecti Legionis à Tribuno deuouebatur ad pœnam. Arma omnium militum, item vestes, equi, annona ad curam eius pertinebant. Disciplinæ ius, & seueritas non Peditum modo, sed Equitum Legionariorum quotidie præcepto eius curabantur. Ipse autem custos diligens, & sobrius Legionem sibi creditam assiduis operibus ad omnem deuotionem informabat, & industriam; sciens ad sui ipsius laudem subiectorum redundare virtutem.*

At quid plura? De Officijs militaribus præstabit magis examinare Theodosianum Codicem, & Corpus Iuris Ciuilis; ne ab instituta breuitatis via nimis digressi videamur. Si quid tamen his paginis pererratum est, non fuit consilium inuoluntarium, nec omninò (vt aliqui haud periti putant) inutile. Immò, si rectè sentiunt, aperient oculos ad non vulgares sparsim,

hu-

humili licèt ſtylo, vt fuit opportunum, exhibitas eruditiones, quas de Ritibus Gentium, Symbolis, ac Trophæis conſulto retulimus; & ſpectabunt lumina clariora myſticæ Theologiæ, quæ, ſaluis tamen reuelatis dogmatibus, ad morum compoſitionem, ac ad Diuinę Maieſtatis cognitionem perducere poſſunt. Licet enim antiquam Gentium religionem explanare, vt ex eorum erroribus, tanquam ex vmbris, ſalutaris Fidei claritas magis illuceſcat.

Reliquum eſt ſermonem conuertere ad Vigeſimam primam Legionem, cui præerat MANILIVS noſter. Aſſentiri minimè poſſum Robortello aſſerenti epitheton RAPACIS deductum ab effectu, à rapiendo nempè. Abhorret ſiquidem genius à tali interpretatione, dum opportuniùs arridet crediſſe ex digniſſimo miniſterio inditum nomen. Liceat igitur iſtud prudenter deducere à roboris præſtantia, qua palmas de Mauortijs Campis, præualens ipſa Legio commilitonibus, rapere conſueuit. Rapacem quoque crediderim dictam, quòd rapido impetu in hoſtiles copias equitando inueheretur. Quam nomenclaturam, poſt binos ex vetuſtiſſimis Saxis præ oculis poſitos Titulos, eiuſdemmet Legionariorum memores, Romanorum Annalium auctoritate comprobabo. Eſt itaque alter Titulorum deſumptus ab Hortis Diui Pauli ad viam Oſtienſem.

Fran. Robortel. de Vita & Victr. P. R. in 15.

C. CARNVNCIANO
C. F. POL. ORICVLAE
PRAEF. FABRVM
TRIB. MIL. LEG. XXI
RAPACIS. EX
TESTAMENTO. EIVS
CVRAVIT
IVLIA. PIA. VXOR

Lib. Europ. Inſcrip pag. 50. nu. 17.

Alter ab agro Comensi, relator etiam Oufentinæ Tribus, in Transpadanæ Galliæ monumentis non infrequenter recensitæ.

Lib. præcit. pag. 158. n. 22.

C. CALPVRNIVS
L. F. OVF. FABATVS
VIVIR. IIIIVIR. I. D
PR. M. PRAEF. PRAET
TRIB. MIL. LEG. XXI. RAP
PRAEF. COH. VII. LVSITA
ET. NATION. GETVLICAR
SEN. QVAE. SVNT. IN. NVMID
IA. FLAM. DIVI. AVG
PATRIMONIO . . . . .
. . . .
T . F . I

Ex quo postremò Titulo minimè foret incomptum aliquid perscrutari. Quod nimirum ipse Caius Calpurnius Vitellianas partes fuerit sectatus contra Othonis fautores in Acie Cremonensi eo tempore, quo Vitellius ipse, nunquam ità ad curas intentus, vt voluptates obliuisceretur, Bononiam venerat spectatum Gladiatoria exercitia, ac Ludos per Fabium Valentem paratos. Nec extra probabilem veritatem coniectasse videtur eundem Calpurnium prædictæ militiæ adscriptum, cum excellentissima eius Basis exaratio ipsi tempestati conformetur, & Legio Rapax transducta tradatur ab Hispania: vbi è Calpurnijs quamplures degisse, ac vtrique Mineruæ pro Romana Republica inseruiisse legimus. Caium nempè Calpurnium agnomento Pisonem (vt vetustiores prætereamus) qui ex ipsa Prouincia Proprætor Anno 569. de Lusitaneis, & Celtibereis triumphum egit; Pisonem Frugi, necnon L. Calpurnium Pisonem eius genitum, Prætura post

pa-

patrem, qui in ea obijt, perfunctum An. 683. Nec tacebo, quam ex Tacito desumpsi eminentissimam huiusce Rapacis Legionis strenuitatem, talibus periodis celebratam. Lib. Hist. 2. ante medium, diuisione mihi 11. *Fortè inter Padum viamque, patenti campo, duæ Legiones congressæ sunt: pro Vitellio Vnaetuicesima, cui cognomen RAPACI, vetere gloria insignis: è parte Othonis Prima Adiutrix, non ante in aciem deducta, sed ferox, & noui decoris auida. Primani, stratis Vnaetuicesimanorum principijs, Aquilam abstulere: quo dolore accensa Legio, & impulit rursus Primanos, interfecto Orphidio Benigno Legato, & plurima Signa, Vexillaq; ex hostibus rapuit.* Libro autem 3. sub diu. 4. *Ad quartum à Cremona lapidem fulsere Legionum Signa Rapacis, atq; Italicæ.* Paulòq; infra, Vitellianorum, vt notabiliorem exponat subsequutam cædem, ex auctoritate Vipsanij Messalæ miserandum narrat euentum in hæc dicta. *Iulius Mansuetus ex Hispania Rapaci Legioni adscitus impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus inter Septimos à Galba conscriptus oblatum fortè patrem, & vulnere stratum, dum semianimem scrutatur agnitus, agnoscensq; & exanguem amplexus voce flebili precabatur, piatos Patris Manes, ne ve se, vt patricidam, auersarentur; publicum id facinus, & vnum militem quotam ciuilium Armorum partem? Simul attollere corpus, aperire humum, supremo erga Parentem offitio fungi.*

Cornel Hist. in 2. pag. 422.

In 3. pag. 459 Vol.

Modò nos etiam vocant obseruationes addendæ pro illustrando QVINTI MANILII CORDI Sepulchrali Monumento; cuius vltima lineamenta breuiter absoluemus: nihil enim aliud, quàm agri, eius funeribus & exuuijs assignati, mensuram, & situm ostendebant; De huiusmodi generis mensurarum indigitationibus Venusinus canebat.

Mille

Mille pedes in fronte, trecentos Cippus in agro
Hic dabat, &c.

Ager itaque in MANILII noſtri tumulum datus, vndecimo plus minus ab hac Vrbe lapide, menſurabilis erat in fronte, hoc eſt anteriori parte ad Viam verſa, in pedem vſque quadrageſimum quartum; in Agro, nempè à cæteris lateribus vndique, ad totidem: cum longitudo ad frontem, latitudo ad agrum ſpectaret. Statuebantur Agri Sepulchrales, eoquòd vetitæ eſſent intra Vrbium mœnia humanorum Cadauerum humationes. Hinc Ouidius.

Ip. Paul. Sèten. in 2.

Inque ſuburbano membra ſepulta ſolo.

Veruntamen poſt euulgatas duodecim Tabularum leges, ob maxima in Rempublicam merita, in ipſa Vrbe aliquos tumulatos legimus. Ex his Tullius receſet Valerium Poplicolam, Publium Poſthumium, & Seruium Sulpicium. Plutarchus Caium quoq; Fabricium, iuxta Veliam in foro ſepultum, tradit. Id de Caio Publicio indicant Tiburtinæ Inſcriptionis verba: necnon de Clodia Sobole, ſub Capitolio Suetonius. Quinimmò Cæſares, & Veſtales ex S.C. Romæ poſt funera locum habebant, ad mœnia tamen. Ita ex antiquiſſimis firmabat Parens meus in Apparatu ad Hiſtoriam Primæ Sacræ Expeditionis. Hæc ſanctio, licet dura, perſeuerauit vſque ad Maxentium Tyrannum, qui politica potius neceſſitate, quàm ſincero aſſenſu, ſummæ pietati Flauij Valerij Conſtantini, inter Auguſtos verè Maximi, haud obſiſtere auſus, Marcello Summo Pontifici de ſepeliēdis in Via Salaria Chriſtianorum Reliquijs ampliſſimam relaxauit facultatem, licèt demùm infidus ſæua barbarie facto proprio contrariatus fuerit. Cæterum memoriæ ſuggerit Seruius, apud priſcas gentes non modo in Latio, & Græ-

Cic. de ll. & in Phi lippicis.

Seru. In Com. Virg. Aeneid.

cia,

ciá, sed vniuersum ferè per Orbem ante expositas Tabularum dipositiones in more viguisse, vt quisque mortuus domi suę sepeliretur, idq; indicatum vult Scriptor ipse à Virgiliano Carmine. *Aeneidos 5*

Sedibus hunc refer ante suis, & conde Sepulchro.

Eandem firmabat doctrinam Cassianeus, qui ætate sua Augustoduni vidisse testabatur multos defunctorum cineres in vetustissimis domibus repertos. Vndè hinc colendorum Larium frequentiam, post etiam Christi Redemptoris indita Sacratissima Præcepta, perdurasse crediderim: plena enim erant dementiæ tempora illa, quæ, cum veri Numinis agnitionem aspernarentur, impudenti affectatione eos solummodò Deos credebant, à quibus progeniti alebantur, viuendique ad mortem ratione irrationabili imbuebantur. Hanc superstitionem è Lacedemonijs omnium primus sustulisse fertur Lycurgus, imperans cadauera circa Templa Vrbana sepeliri in monumentis, quibus tamen eorum tantummodò nomina inscribere permissum erat, qui fortiter in bello perijssent.

Catal. Gloria Mundi p. 2. In principio.

Io. Boemus de moribus omnium Gentium in 3. c. 3.

Fælicibus tandem Mercurij, Numinis nempè fœderatoris, auspicijs claudatur hæc nostra Narratio: tempore namq; Triumuiratus non minus fessis, obtusisque militum Aciebus, vt, Triumuirorum absoluto Congressu fortunata, Oliua totus reuiuisceret Orbis, arbitraria Mercurij excelluit facundia. Sed quid denique de ipso Mercurio, & eius symbolicis Anguibus addam? Ommitto, quòd, data occasione celeberrimi Virorum Fœderis, tres in numismate expressi sunt Angues complicati, Victoria media consistente: vt triplex ipsius Orbis indiceretur dominium. Arbitror, nec incassum quidem, per Sceptrum eiusdem Mercurij vtique dominatum intelligi: Serpentes verò, auersis ab inuicem

vultibus vtrumque respicere Polum, ad dilatationem Imperij toto Orbe præfigurandam: cum vbique Mercurius regnare diceretur, ac, Plutarcho teste, vt Horizontis vtriusq; Inferi nempè, & Superi Custos demonstraretur, duobus Caninis capitibus pingebatur. Quæ supra tradidi adhuc relucent è nummis ipso Caduceo, alijsq; Concordiæ Insignibus decoratis. Ab argenteo scilicet Lepidi effigie signato, & nomine M. LEPIDVS PONT. MAX. IIIVIR. R. P. C. in opposita binis coniunctis dexteris Caduceum amplectentibus, ac Triumuiri monetalis nomine L. MVSIDIVS. T. F. LONGVS. IIIVIR. A. P. F. Ab aureo item nummo, caput Antonij repræsentante in antica; in postica Caduceum eundem, quem geminum Cornucopiæ medium cingit, incumbens Globo, Spicas, & Papauera effundens, vbertatis, & quietis symbolum, quæ duo Cereri Antiquitas tribuebat. Deniq; ex altero, vt plures ommittam, pariter aureo, Augusti vultum ab vna partium præferente, & inscriptionem, C. CÆSAR DIVI. F. IMP. COS. IIIVIR. R. P. C: ab altera tres ad inuicem iunctas dexteras, ipsum Mercurij Sceptrum congestantes, Securi, & Fascibus colligatis propè Globum, fausto lemmate addito, SALVS GENERIS HVMANI.

Videre est lineamenta apud Augustinum in Dialogis.

O verè fæliciſſimum omen lætiſſimis populorum plausibus excipiendum! Absit inanis superstitio, quæ Mercurio in Sacrificijs, propter facundiam, Victimarum linguas offerendas sanciebat. An non Fasces, & Securim in Gentilitio EMINENTISS. MAZZARINI Stēmate intuemur; vt veriori longè præsagio Orbis intelligat, post ferreum sæculū, post bellicas tempestates, post imbres sanguineos, totam Europam inundantes, redditam sibi ab hoc Mercurio auream Pacem, dum po-

Iac. Phil. Tomasinus de Donarijs, ac Tabellis votiuis, cap. 22.

potenti eloquio diſſidentium Principum Maximorum animos quodammodo ſuos collegit in Faſces, & in publicam ſecuritatem ſuæ Securi alligauit? Hinc quam olim Lydiæ Reges, pro Iouis Simulacro, coluere Securim, nunc Galli (non, vt in generoſa Clodouæi dextera, iuſtiſſimæ iræ vindicem) ſed ſibi pacatam, pacificam, & ſalutarem religioſius venerentur. Hinc Orbis per eam ad beatiora ſtudia verſus, quieſcat. Nec etiam à propoſito noſtro diſtare videtur Cœruleus color in Mazzarinio ipſo Stemmate: nimirum ſignans; Heroem hunc è Cœlo demiſſum Gallicæ aſſertorem fælicitatis. Quis enim in hoc Cœruleo Eminentiſſimi Principis Clypeum illum non recognoſcet, quem ipſi Clodouæo Inuictiſſimo Francorum Regi Angelus olim è Cęlo detulit colore Cœruleo pictum, & tribus Aureis Floribus decoratum (gallicè *Il Port d'Azour aux Flordelys d'or)* Eodem in Stemmate fulgere mihi videtur Cœruleum illud Vexillum, cum Cruce quatuor Roſis aureis efformata, quod Sancto Mercurio diuinitus ſcimus exhibitum, vt, eo fretus, impium Iulianum Apoſtatam, Chriſti nomen ore turpiſſimo blaſphemantem, interficeret. Valeat ergo priſca ſuperſtitio, quæ Vulcanum Cœruleo Pileo inſignitum voluit, vt Ignem Cœlo cognatum, & conſanguineum indicaret. Quàm melius nobis Cæruleus color in Stemmate, Igneus in Purpura Religioſiſſimi Principis ad quietem Publicam fœderantur! Colorem Cœruleum ſtrenuis Bellatoribus pro Vexillo Gloriæ donatum in antiquis legimus monumentis; eoque Marcum Agrippam, poſt Naualem Victoriam, decoratum intelligimus. Eundem Neptuno Sacrum Inſigne Equitum Romanorum nouimus. Quid ni ergo hic Cœli color illius exornet Inſignia, cuius Cœleſti Diuinaque Sapientia pacatam

Secur. Inſign. antiquiſs Regũ Franc habet Paulus Emil. Veron. in Vita Clodouæi.

An. Chriſti 490. Paul. Emil. Veron. in Vita Clodouæi vbi ſup. An Chriſti 363 K. Iul. Speculo Hiſtoriali de mira nece. in 40. c. 45.

Sueton. in Auguſto.

Terram, pacatum Mare, Regionum, Populorumque, infestis olim animis diffidentium, sancita Fœdera gratulamur? Quòd si, ob Gothos Romanis è finibus pulsos, Romani olim sub Claudio milites Aureum Clypeum, cum Aureis Fascibus Vrbano in Foro, Victoriæ symbolum, erexerunt: quòd Purpuratus Ecclesiæ Princeps; quòd Galliæ Alcides; quòd Atlas Orbis Christiani suis consilijs infestum Bellum totis Europæ finibus expulerit, optatamque omnibus Pacem suum in Thronum reuocauerit, coronatos eiusdem Fasces, pacificamq; Securim in hoc rerum Theatro, tanti facinoris gloriosum monumentum, Orbis venerabundus attollat, deque gentilitijs Syderibus eiusdem vertici tergeminum Diadema contexat. Enimuerò tunc erit, cum de Rubenti Zona, qua Nostri Herois Stemma distinguitur, Otthomanica Luna Ecclipsim sanguineam suis occiduis splendoribus ominetur. Ego interim Monumentum emeritæ Eminentissimi Proceris perenni gloriæ Parisijs nuper erectum, meis hisce rudibus paginis obsequij, & venerationis argumentum inscribo.

Sueton. in Claudio.

Argum. sex Inst. De oblig. quæ ex delic. nascuntur.

PACI
VICTRICIBVS LVDOVICI XIV ARMIS
FELICIBVS ANNAE CONSILISS
AVGVSTIS MARIAE THERESIAE NVPTIIS
ASSIDVIS IVLI CARDINALIS MAZZARINI CVRIS
PARTÆ FVNDATÆ ÆTERNVM FIRMATÆ
PRAEFECTVS VRBIS AEDILESQVE
SACRAVERE
ANNO MDCLX

Lætantes ergo Populi Pacem Robore, Sapientia, Amore, ac Vigilantia partam alloquantur opportuno, & ferè diuino Cardinalis Alciati Carmine,

Re-

Restituis fessis quod te Pax aurea rebus,
Cultaq; diuulsis litibus arua nitent,
Turba tibi hæc merito sæpè lætissima fundit,
Et premit agrestes fronde reuicta comas.
Quaq; Oleæ ramos iungunt felicibus vmbris
Antiquis renouant Sacra probata Viris:
Tu bona sis, facilisq; pijs adlabere donis,
Moxq; tuo auspicio candidus Annus eat,

Verum de tenui, ac rudi meæ Scriptionis argumento hæc pauca sufficiant: quæ si Ter Maximo Virtutum fautori, cui Sacrata sunt, minus arriserint, non tàm culpabit, vt voueo, vt spero, pro incredibili eius Clementia, imperitum Calamum meum, quàm ipsam temporis edacitatem, tacito morsu æra, & marmora consumentem, illius non immemor Carminis.

Tempus fugaci vulnerat impetu,
Rituque Parthorum feriens ruit
Versis Sagittis: hoc Theatra,
Arma, Duces, opulenta Regna;
Vrbesque totas, cuncta silentijs
Immergit altis; impatiens diù
Quidquam manere.

Philom. in Musis Iuuenil.

FINIS.

Vid. Excell. D. Ouidius Montalbanus Reuisor S. Offitij.
Fr. Iacobus Philippus Polinus Vicarius S. Offitij Bononiæ.

Commentariolum hosce, quouis nitentius auro, æreque perennius, à D. Canonico Alexandro, olim Io. Francisci de Nigris, Histor. Bonon. integerrimi, & amplissimi Scriptoris, filio compositum, ab intimis, & eruditionis, & Pietatis in Patriam penetralibus erutum, Typica quoq; luce dignissimum censeo, ego infrascriptus pro Sanctissima Inquisitione Reuisor deputatus, &c.

Ita est Ouidius Montalbanus Phil. LL. quæ Doctor, Collegiatorumq; omnium Bonon. Antesignan.

V. D. Iuuentius Tortus Cler. Reg. S. Pauli Pœnit. pro Illustriss. ac Reuerendiss. D. Archiep. Bonon. & Principe.

Imprimatur.

Fr. Iacobus Philippus Polinus Vicarius Generalis S. Offitij Bononiæ.

EPISTOLA

DE

VETVSTISSIMA

LAPIDEAE CVIVSDAM

INSCRIPTIONIS

ERASIONE

2